



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.4. Hadriani Papæ obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

fuit pulcherrimum fortitudinis exem-
plum; nam Monachi, & Episcopi in
Chersoneso, in Bosphoro, in oris, & In-
sulis adjacentibus Platonis & Theodoti
exhibito specimine excitati Imperatorem
ab Ecclesia excommunicatum esse pro-
nunciarunt, nec deinde vel minis vel do-
nis a sententia dimoveri se passi sunt.
Hos cum Imperator proscripsisset, eo au-
dentius in nuptiarum istarum scanda-
lum inveci, multos, quos Imperatoris li-
centia seduxerat, ad Christianæ legis ri-
gorem reducerunt. Irene Cæsaris ma-
ter intelligens, quantum filii facinus pro-
bi omnes detestarentur, illis, quos ipse
persequeretur, favebat & adulabatur, ut
invidiam augetet.

Sæcul. VIII.
A. C. 795.
vit. S. Theo.
p. 23.

S. Theodorus demum Sabbato, in *Theod. ep. 3.*
Festo Annunciationis vigesima quinta
Martii, nempe anno 797. Thessalonicam
pervenit, unde datis ad S. Platonem lit-
teris, de omnibus a tempore, quo ab e-
jus latere avulsus fuerat, actis & itine-
ris sui adjunctis certiore reddidit. Sum-
mo Pontifici quoque omnia, ut contige-
rant, perscripsit, accepitque Responsum,
in quo ejus prudentia & constantia dilau-
dabantur.

v. Theod.

§. IV.

Hadriani Papæ obitus.

Summus ille Pontifex, qui Theodoro
respon-

Anast.

- Sæcul. VIII.
A. C. 795. responsum dedit, fuit Leo III. nam Hadrianus sub finem anni 795. vitam posuerat. Is duabus Ordinationibus mense Martio Presbyteros viginti quatuor, Diaconos septem, & per diversa loca centum octoginta quinque Episcopos creavit. Ecclesiis Romanæ Civitatis plurima Vasa donavit, aliaque varii generis ornamenta, quorum omnium pondus mille trecentas octoginta quatuor libras auri, argenti vero libras mille septingentas septuaginta tres conficiebat. Ubi semper Libra Romana duodecim unciarum accipienda est. Multas Ecclesias reparavit, multasque a fundamentis erexit. Quasdam Diaconias collapsas restitavit, & agris in hunc finem donatis largissimas eleemosynas fundavit. Cum Monasterium S. Stephani, alias Barbara Patricia dictum, prope Basilicam S. Petri ita esset desertum, ut Officium Divinum non amplius perageretur, illud Hadrianus Papa reparavit, Monachos & Abbatem immisit, & Officium Divinum in Ecclesia S. Petri, eo modo, quo & aliæ Congregationes ad psallendum illuc conveniebant, celebrare iussit. Monasterium S. Andreæ, ab Honorio Papa fundatum, tunc pœne collapsum restituit, Monachos & Abbatem dedit, atque Divinas Laudes singulis Horis Canonicis in Basilica Salvatoris, quæ est Ecclesia
- p. 1741.
- p. 1741.
- p. 1745.
- Late-

Lateranensis, cum Monachis S. Pancra-
 tii duobus Choris canere iussit. Nem-
 pe quodlibet Monasterium unum cho-
 rum efficiebat. Monasteria duo propin-
 qua, alterum S. Laurentii in ruinis vete-
 ris Palatii, alterum S. Stephani conjun-
 xit, Monachis in Basilica S. Marci Offi-
 cium Divinum peragere iussis. Mona-
 stero SS. Hadriani & Laurentii, quod
 collapsum Sæculares tenebant, restaura-
 to pingues fundos donavit, atque con-
 stituit, ut Monachi ad cantandos Psal-
 mos diu noctuque in Ecclesia S. Mariæ
 Majoris convenirent. Ecclesia S. Ana-
 stasii cum Domo Abbatiali aliisque ædi-
 ficiis incendio consumptis, ita ut solus
 Loculus, in quo Sancti Lipsana erant in-
 clusa, fuisset servatus, Hadrianus Papa
 ad restringendas flammæ ipse processit,
 illudque Monasterium meliora forma
 quam prius fuerat, rursus ædificavit.
 Multos etiam Aquæductus, & tandem
 Romanæ Urbis muros reparavit.

Hadrianus Papa Sacram Sedem te-
 nuit annis viginti tribus, sepultusque est
 ad S. Petrum vigesima sexta Decembris
 anno 795. Indictione quarta. Vixit tem-
 poribus Regis Caroli, ut refert Anasta-
 sius, qui exinde Pontificum tempora a
 Regno Imperatorum Constantinopolita-
 norum non amplius designat. Carolus
 comperto Hadriani obitu, haud secus ac
 si

Sæcul. VIII.
 A. C. 795.

p. 1746.

1750.

Sæcul. VIII. si fratrem vel filium amisisset, defunctum
A. C. 795. deflevit, & quamvis nullatenus dubita-

Egin. vit.
Car.

ep. ad Off. to.
7. Conc. p.
1130. Math.
Vesim.

ret, quin anima ipsius ad quietem æternam translata fuisset, nihilominus iussit pro eo orari, & regia munificentia elemosynas distribuit. De Thesauro suo dona misit ad omnes Urbes Metropolitanas, item Dalmaticas & Trabeas, ad omnes Ecclesias Episcopales Angliæ, ut ipse litteris prodidit scribens ad Offam Regem Merciorum. Tandem ut sinceræ amicitiaæ æternum monumentum daret Rex Papæ Epitaphium Versibus Latinis Elegiacis composuit. (*) Offa Rex Merciorum Ordine temporis duodecimus, genus

(*) Hujus Epitaphii initium & finis apud Petlatium legitur in hunc modum :

Hic Pater Ecclesiæ, Romæ decus, Inclitus
 Auctor

Hadrianus requiem Papa beatus habet.

Vir cui vita Deus, pietas Lex, Gloria Christi.

Pastor Apostolicus promptus ad omne
 bonum.

O pete Regna Pater felix Cœlestia Christi,
 Inde tuum precibus auxiliare gregem.
 Dum Sol ignicomo rutilus splendet ab
 axe,

Laus tua, Sancte Pater, semper in ore
 manet.

genus ducens a Penda, qui primus Reli-
gionem Christianam suscepit, Regnum
auspicatus est anno 756. cum vero Ethel-
bertum Regem Angliæ Orientalis ulti-
mum vita privasset, Regno ipse anno
794. potitus, peregrinatione Romana sub
finem Pontificatus Hadriani Papæ susce-
pta Privilegium obtinuit pro Monaste-
rio, quod in Honorem S. Albani, cujus
Reliquias invenerat, fundare volebat.

Sæcul. VIII.
A. C. 796.

§. V.

Leo III. Papa.

Eodem die, quo sepulchro illatus est
Hadrianus Papa, ejus Successor Leo III.
electus. Is Romæ natus, & a pueritia in
Palatio Patriarchali Lateranensi educa-
tus, Psalterium, Sacram Scripturam &
universam Disciplinam Ecclesiasticam di-
didit. Primum Subdiaconus & deinde
Presbyter Tituli S. Susannæ ordinatus
est, vir castissimis moribus, facundia &
animi constantia insignis. Ubi Mona-
chum vel virum pium, singulari aliqua
virtute clarum nactus erat, cum eo ora-
re & de divinis rebus colloqui cessare
vix poterat. Eleemosynas hilari animo
largiebatur, atque ad similia opera cha-
ritatis alios excitabat. Ægrotos invise-
bat, & Doctrina ex Sacris Scripturis pe-
tita solabatur. His moribus omnium

Anast.

Hist. Eccles. Tom. X. P p homi-